

2100
DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA,

DE PRÆTERNATVRALI
BILIS DEPRAVATIO-
NE ET NOXA,

QVAM

AUXILIANTE NUMINE DIVINO,
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,
PRÆNOBILI, CONSVLTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO VIRO,
DN. D. HERMAN. PAVLOJVCH,
SERENISS. DVCVM SAXO-VINAR. ET ISENAC. CONSIL. AVLIC. ET ARCHIAT.
PATHOL. ATQVE PRAXEOS PROF. PVBL. PRIMAR. FAC. MED. SENIORE,
ET ACADEM. CÆSAR. NAT. CVRIOS. COLLEGA,
INCLYTA FACVLTATE MEDICA IN PER-ANTIQVA
HIERANA GRATIOSE INDVLGENTE,
P R Æ S I D E

DN. D. ANDREA ELIA BÜCHNER,
SAC. CÆSAR. MAJEST. ARCHIATRO ET COMITE PALATINO, S. R. I. NOBILI,
EPHEMER. ACADEM. NAT. CVRIOS. DIRECTORE, INSTITVT. MED. PROF.
PVBL. ET FACVLT. MED. ASSESS. EXTRAORD.
DOMINO PATRONO ET PRÆCEPTORE SVO SVMMME DEVENERANDO,
PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI PRIVILEGIIS
ET IMMVNITATIBVS
RITE ET SOLENNITER IMPETRANDIS,
PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTET,
AVTOR ET RESPONDENS,

Gottfried Christlieb BALDAMVS,
Magdeburgensis.

IN AVDITORIO MAIORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS.
DIE I. OCTOBR. M DCC XXXV.

ERFORDIÆ, Typis HERINGII, Acad. Typogr.

Pathol. spec.

338, 2

M. J. H. G. G.



DISSERTATIONIS INAUGVRALIS MEDICÆ,
DE
PRÆTERNATVRALI
BILIS
DEPRAVATIONE ET NOXA,
PROÆMIUM.



Vanta & quam exacta, inter solidas pariter ac fluidas corpus nostrum humanum constituentes partes, ordinarie intercedat harmonia & connexio, adeo, ut, quamdiu hanc mutuo conservant, tamdiu quoque sanitas integra & illibata conservetur, quamprimum vero abinde vel levissime deflectunt atque recedunt, statim quoque innumeris variisque morbis irruendi occasio suppeditetur, cuilibet per experientiam abunde satis constare existimo: Licet enim solidæ, si à prima generatione legitimam ob-

tinuerint conformationem & unitatem, tot tantisque non semper obnoxia sint anomaliis morbosisque insultibus, nec etiam per se, nisi forsitan à casibus externis, tam facile ledantur, aut, si quoque horum quicquam contingat, vix unquam propterea totum patiatur corpus, quin imò sæpissime una alterave ipsarum prorsus deficere queat, sine notabili totius detrimento; inferunt tamen earundem lesiones sat gravia & numerosa vitia in ipsas fluidas ibidem transeuntes, dum partim ordinarius harum progressus nimium quantum retardatur, sicque illæ plus justo spissiores redduntur, partim quoque necessaria continua heterogenearum particularum à laudabilibus & utilibus abstersio & sequestratio turbatur & impeditur, eoque ipso crasis & mixtio talium humorum insigniter depravatur. Plura autem magisque fontica emergunt incommoda, si hi ipsi humores antea qualicunque ex causa vitiati & corrupti fuerint, quoniam, ob continuum & universalem per omnes fere corporis partes transitum, vim admodum eximiam in illud immutandum & alterandum habent, labemque semel conceptam plurimis istarum perquam facile communicare & affricare, & sic eodem quasi modo, quo legitimam constitutionem, temperaturam functionumque integritatem organicarum talium partium conservant, eandem quoque, ubi à naturali sua qualitate & puritate deflectunt, destruere valent, ut propterea jure meritoque cum HIPPOCRATE concludere liceat, nos quoque non solum ex iis nutriri & conservari, sed & egrotare, ex quibus ordinarie constat & vivimus. Et hoc quidem non solum de principalioribus & absolute utilibus corporis nostri humoribus, videlicet sanguine & lymphæ, sed & de particularibus, minus principalibus & respectively saltem utilibus prædicare licet, quippe

quippe qui, si non proxime, tamen necessario, ad sanitatem conservandam pariter multum conferunt, adeoque etiam præternaturaliter constituti eandem eximiè turbare variasque morborum causas suppeditare possunt. Exempli loco nobis in præsentiarum esse potest Bilis, quæ, licet ad conservandam corporis sanitatem multum utique conferat, adeo, ut etiam à quibusdam pro genuino corporum medicamento, à Naturâ prudentissime elaborato, reputetur, per cujus virtutem ac energiam incomparabilem, illud vivum ac sanum conservaretur; tamen si depravata fuerit, vel à legitima sua crasi & qualitate ullo modo deflectit, aut etiam prorsus deficit, multis iisque non raro sat gravibus morbis viam pandit, qui dein sæpissime unice ex tali bilis vitio æstimari debent.

Cum igitur ante aliquot jam jam annos, in peculiari Dissertatione, de naturali Bilis constitutione & usu fusius actum sit; hinc in præsentiarum, loco Speciminis inauguralis, in præternaturalem ejusdem depravationem & noxam inquirere eamque debite adumbrare placuit. Faxit autem, qui supplex in auxilium vocatur, DEVS, ut propositum hoc in sui gloriam & salutem proximi cedat feliciter!

§. I.

QUamvis ab illorum partibus absolute stare haud queamus, qui nil, nisi innumeras contra Bilem instituunt querelas, eamque non solum pro inutili microcosmi incola & pernicioso ejus hospite reputant, sed & ceu infensissimum sanitatis hostem prosequendam esse autumant, imo cum HIPPOCRATE & GALENO eandem omnium fere calamitatum fontem & fundum appellant; minime tamen

propterea humorem hunc ab omni prorsus culpa vindicare lubet, cum eodem plane modo, sicuti reliqua corporis nostri fluida, ad ejus sanitatem & vitam conservandam summe necessaria, suos quoque patiatur manes, innumerisque vitiis, quoad *quantitatem, qualitatem motumque* se se potissimum manifestantibus & tandem nocivis, expositus esse deprehendatur, prout hoc fusius nunc in præsentî tractatione demonstratum dabimus.

§. II.

Quod, reliquorum humorum ad instar, vitium *quantitatis*, & quidem *excedentis*, perquam facile contrahere queat *Bilis*, dum vel in ipsa sanguinis massa, vel in ordinariis suis receptaculis nimium cumulatur & accrescit, per experientiam, maxime anatomicam, sufficienter jam liquet; quod vero solitaria hujus humoris abundantia, subsistentibus adhuc legitimâ ejusdem qualitate & mixtione, itidem nociva ac sanitati infensa sit, â multis, existentiam ejusmodi abundantia in dubium vocantibus, plane negatur, quoniam, etiamsi in assumtis modum excedant plurimi hominum, facile tamen, dummodo cæteroquin sani iidem fuerint, sub legitimo ordinariarum se- & excretionum successu, ejusmodi copiosior collectio præcaveri posset, dum nempe id, quod superfluum est, consumitur, aut per consueta emunctoria iterum dispergitur. Ast, licet nostris in regionibus, sub aëris & aquarum crassiori constitutione, ac diæta cerevisiariâ magis, quam vinosâ & aromaticâ, excedens talis quantitas laudabilis ac bonæ bilis non facile occurrat, minime tamen omnia
indi-

indiscretim subjecta, speciatim in juvenili ætate consti-
tuta, vini generosioris, aromatum ac dulcium frequen-
tiori usui adsueta, concurrente fervidiori aëris æstivi
constitutione, abinde libera erunt, nec etiam unquam
evinci poterit, quod nimia ista, intra intestina descen-
dens & cum Chylo iterum ad sanguinem delata bilis,
præprimis sub parciori ciborum solidiorum assumptio-
ne, nulla prorsus incommoda, nullum sanguinis or-
gasmum, vomitiones, diarrhœas, &c. pro circumstan-
tiarum concurrentium ratione, inducere valeat.

§. III.

Sæpius autem & frequentius peccat bilis *in defe-
ctu*, & quidem variis ex causis, ita, ut vel in minus suffi-
ciente quantitate elaboretur & in cystide colligatur,
vel parcius aut plane non ad intestina transmittatur,
quod utrumque vitium varios semper admodumque
fonticos post se trahit morbos. Prius contingit par-
tim ex vitio organorum bilem conficientium, tumori-
bus nempe, inflammationibus & scirrhis Hepatis, aut
angustia vasorum biliariorum, quacunque ex causa pro-
ducta, partim aliis ex causis, ætate nempe senili & in-
fantili, temperamento phlegmatico, nec non post abu-
sum refrigerantium, narcoticorum, purgantium dra-
sticorum, morbos diuturniores, nimium defectum vi-
rium inferentes, hæmorrhagias & V. Snes copiosas,
aut crebrius repetitas, imo in omnibus illis morbis,
qui vulgo à Cacochymia serosa & pituitosa originem
suam ducunt, dum nempe modo sanguinis crasis ju-
sto spissior magisque mucida, ac particulis $\text{Æo-}\text{osis}$
balsamicis destituta, existit, modo, ob nimiam ejus ja-
cturam,

Eturam, motus tam progressivus, quam intestinus, eximie debilitati & functiones secretoriæ plus justo labefactatæ sunt, modo denique per sæpius reiteratas sub allegatis morbis purgationes, quibus plenis situlis bilem interdum exhauriri observamus, manifesta digestionum læsio inducitur, quarum robore fatifcente omnia assumpta dein imperfecte resolvuntur, vel in pastam abeunt viscidam, aut in serum vappidum, omni sale volatili & so destitutum, adeoque ad suppeditandam bilis materiam prorsus ineptum.

§. IV.

Quacunque igitur ex causa oboriatur ejusmodi defectus bilis in secretionem, semper admodum fonticus & perniciosus est, atque modo ad graves morbos, & quidem, probe notante HELMONTIO, ad Hydropem, Cachexiam, hypochondriacum malum & complures chronicos affectus disponit, modo ipsam etiam mortem tandem accelerat, testante hoc inter alios quoque FERNELIO, in *Pathologia sua*, his verbis: *Non pauci è vivis erepti sunt, in quibus non alia interitus causa apparuit, quam quod folliculus bile omnino esset exhaustus.* Sic quoque MOEBIUS in *fundam. physiol.* de tribus infantibus tabe demortuis refert, quod in ipsorum cadaveribus ne vestigium quidem bilis inventum fuerit, idque ab abusu purgantium potissimum factum fuisse autumat, quemadmodum aliàs quoque similis defectus in sectionibus dysentericorum plerumque observatur.

§. V.

Posterius dein, seu defectus bilis ex ejus *transmissione ad intestina*, tunc potissimum contingit, quando vel
ipsa

ipsa bilis admodum viscida, mucosa & crassa existit, vel orificium ductus choledochi à spasmò vel calculo prorsus obstructum est: Si ipsa bilis, quoad crasin ita vitiata, transitum istum impedit, tunc plerumque successu temporum, ob stagnationem & quietem, particulæ crassiores & mucidæ separantur, colliguntur & non raro in topfos & calculos condensantur, restitans vero tenuior & acrior ejusdem portio per poros cystidis felleæ, quodammodo forsitan relaxatos, transfudat, & tormina, cardialgiam, vomitus, ac spasticas, imò convulsivas intestinorum constrictiones excitat. Si vero orificii ductus choledochi obstructio aut compressio in culpa est, quo minus hic humor ad intestina devenire queat, tunc, continuante indefinenter ejusdem secretionem, aliter fieri haud potest, quin non solum ad vesicam felleam regurgitet eamque eximie distendat, sed & ad ipsos ductus biliarios glandulasque hepatis, ubi, ob nimiam harum distensionem & pororum ampliationem, tandem per vasa lymphatica iterum in sanguinem transit, totamque non solum seri massam, sed & ipsam externam corporis peripheriam, per quam tenuior hujus inquinati sanguinis portio continuo transire debet, flavo foedo colore tingit, Ictericumque sic producit. Quantitatem vero illam, quæ sic ex Hepate in M. S. refluit, satis copiosam esse, vel exinde colligere licet, quoniam \square , quæ sub hoc affectu excernitur, satis crassa est & ad bilis colorem accedit, simulque linteamina croceo colore exacte tingit. Concurrunt sub hoc affectu communiter sapor amarus, propter quem omnia, quæ gustantur, solent apparere amara,

B

adest

adeſt dolor in dextro hypochondrio gravativus, aut valde acutus, naufea, vomitus, appetitus proſtratio & cardialgia, præſertim ſi calculus in ductu choledocho hæreat; alvus utplurimum eſt ſiccior, vel etiam adſtricta, & feces egeſti ab ordinario flavo in albicantem aut cineritium deſlectunt colorem, cum torminibus & flatulentis, quam coloris mutationem plurimi à deſectu bilis intra inteſtina deducunt, HEINTKIVS autem in *A. N. C. Dec. II. Ann. VI. Obſ. 125.* aliis proſus cauſis adſcribendam eſſe autumat, variis que experimentis evincere intendit, bilem nec excrementa alvi, nec ſerum ſanguinis, nec ſquam tingere.

§. VI.

A ſola etiam conſtrictione ſpaſtica ductus choledochi ejuſque orificii in inteſtino duodeno, sæpius Icterus, non tamen uſque adeo gravem & diuturnum, ſed magis tranſitorium, produci, per experientiam abunde jam liquet, & exempla hypochondriacorum, hſtericarum, Colica atroci laborantium & gravem iracundiam perpeſſorum, facillime talem affectum cum dolore preſſorio in ſcrobiculo cordis, & circa hypochondrium dextrum, incurrentium, ſufficienter confirmant. Proinde tranſitum quoque bilis ad inteſtina impedire Icterusque producere ſolent Cauſus, febris ardens bilioſa, & tertiana, tam continua, quam intermittens, aut duplicata, ob ſimilem vaſorum biliariorum ad duodenum vergentium conſtrictionem & obſtructionem, aut concurrentem etiam Pylori, duodeni & connexæ huic portionis pancreatis, inflammationem, in febre ardente, ſeu cauſo, sæpius præſentem, in pri-

inprimis si ex suppressa gravi iracundia, superingesto potu frigido, originem suam duxerit, ubi ob tumorem, dolorem ac spasmum, in parte tali inflammata communiter oborientem, per ductus ita compressos ne minima quidem bilis portio ad intestinum duodenum transferri potest. Tandem etiam ab assumtis venenis, morfu viperarum, canis, aut aliorum animalium rabidorum, similis defectus bilis in intestinis oriri, ejusque transitus è vesicula fellea remorari potest, & quidem eandem fere ob rationem, dum nempe vel actualis inflammatio, vel, ob consensum cum parte læsa, spasmus fortior in ventriculo & tenuibus intestinis, prædictas vias & vasa constringit atque occludit. Manifestant autem causam hanc sequentia potissimum signa, quod nempe color in toto ægrotantium corpore subitò mutetur, nec tamen undique continuus, sed distinctus appareat, ut maculæ saltem formentur, luteæ præsertim, aut fuscæ, imo quandoque cæruleæ vel nigræ, maxime in dorso, haud secus, quam in pestilentibus & malignis febribus, cum pulsu, pro ratione virium Naturæ expellentis vario, modo celeri ac forti, modo tardo & debili, subitanea virium dejectione, Lipothymia, Syncope, tumore partis demorsæ, aut totius etiam corporis, pluribusque aliis hujus generis symptomatibus.

§. VII.

Qualitatis vitia quod attinet, ea prioribus frequentius occurrunt, hisque pariter ac aliis non rarò junguntur, & insimul perquam varia sunt, dum nempe bilis modo acrior & quasi corrosiva, modo austera, nimium tenuis, aut justo spissior & viscidior, admodum oleosa,

aut eximie volatilis, aut plus quam decet fixa, vappida & terrestris existit, ac pro harum circumstantiarum ratione diversa, satisque interdum fontica confectionaria post se trahit. Primum horum, nempe *Acredo*, oritur ex defectu particularum aquosarum, $\frac{4}{5}$ earum & volatili-um, unde dein salino-oleosæ prædominium nanciscuntur, tantoque peiores postmodum exserunt effectus, si per assumpta similia magis adaugentur & ad subeundam novam confectionem disponuntur, qualia sunt dulcia, saccharata, mellita, cerevisia & vina recentia, aromatica, amara, spirituosæ, omniaque fermentescentia. Ejusmodi bilis, si vel intra M. S. copiosius diffusa, vel ad intestinorum canalem aliasque partes forsitan translata & magis rarefacta est, non solum gravissimas illas febres ardentes, sed & Causum, Choleram, diarrhœas admodum dolorosas, Dysenteriam, intolerabilem ventriculi ardorem & sitim, Cardialgias, Colicas, imo Convulsiones causatur & excitat, simulque pro diversitate colorum, quos sub excretionem sua exhibet, diversas quoque denominationes obtinet, ut in æruginosam, prassinam seu porraceam, isatodem seu gramineam & vitellinam, tanquam totidem species, ut qualitate, sic & virulentia gradu à se invicem distinctas, in genere tamen à sero acido, vel intra vasa biliaria, vel in duodeno ipsi affuso, productas, postmodum dispescatur.

§. VIII.

Austera redditur bilis, si præter Θ inas acidas particulas etiam subtiliores terreæ in eadem abundant, quibus equidem acrimonia ejus corrosiva infringitur,
aut

aut præoccupatur, hujus autem in locum styptica fere austeritas ipsi conciliatur, eoque ipso, præter frequentiores alvi obstructiones, & ipsius hujus humoris in tophaceam aut calculosam substantiam concretiones, varia admodum, satis notabilia & fontica morborum schemata accelerantur & provocantur. Inprimis autem referendi huc sunt Vomitus illi bilis flavæ, aut citrinæ, saginosæ & sebaceæ, in hypochondriacis & hystericis sæpissime occurrentes, sub quibus admodum notabilis quantitas non quidem sinceræ bilis, sed saburræ, ex assumtis, etiam laudabilibus, corrupta ventriculi digestionem & perversa biliosi fermenti indole, in simile austerum liquamen degeneratæ, fauces ipsas notabiliter constringentis, rejicitur. Ab hac ipsa recrementitia bile petendi quoque erunt natales illius Icteri, qui cum nausea, Cardialgia & gravi obstructione alvi conjunctus, frequentissime cum & sine febribus intermittentibus solet occurrere, simul vero, consentientibus plurimis Practicorum, perquam facile cum omnibus suis symptomatibus, etiam fædo illo per totum corpus disperso colore, per tempestive exhibitum vomitorium iterum tolli potest. Imo observatum quoque est per experientiam, quod, sublatis licet omnibus reliquis talem Icterum stipantibus molestiis, color tamen flavus prius non evanuerit, quam post vomitum vel sponte subortum, vel arte provocatum, manifesto sane indicio, materialem hujus morbi causam unice in ventriculo & primis viis hæsisse, & molestam ibidem pressionem cum aliis symptomatibus primum produxisse, tandem vero magis resolutam istam bilem

per totum corpus fuisse, illudque colore isto flavo undique deturpasse. Sic etiam nulli dubitamus, quin præter hunc ipsum multi adhuc alii morbi, speciatim febres chronicæ & inprimis quartanæ, nec non Icterus niger, quorum omnium originem Veteres in intemperie melancholica quærere quondam solebant, quoad maximam sui partem ab ejusmodi bile austera, pro vario gradu vitiosa, dependeant.

§. IX.

Tenuitas nimia & spissitudo extraordinaria bilis, unice defectui proportionatæ mixtionis particularum serosarum cum Φ eis, Θ inis atque ∇ eis adscribenda esse videtur, ita ut, si priores illæ Θ inis in majore, terreæ autem & Φ eæ in minore quantitate adsint, fluiditas major, si vero hæ contrario modo sese habeant, glutinosa viscositas exinde emergat. Illud contingit modo ex diætæ humidioris vitio, modo etiam culpa digestionum debiliorum, particulas Φ eas minus resolventium, modo denique post graviores chronicos morbos, hæmorrhagias nimias aliosque affectus, magnam virium jacturam inferentes, quibus inprimis œdematosos pedum tumores ipsumque Hydropem tandem supervenire sæpissime observamus, & quidem eam maxime ob causam, quod balsamica cæteroquin bilis, enervatis antea particulis Θ inis volatilibus & Φ eis, vappida & inutilis evadat, eoque ipso fundamenta serosæ ejusmodi dyscrasiæ humorum ponat. Eandem quoque aquosam nimiumque tenuem bilem multum itidem ad producendam Lienteriam & passionem coeliacam, utpote certissimos illos graviorum malorum, ipsius-

ipsius.

ipsiusque Cachexiæ prodromos, subinde conferre, per rationem pariter ac experientiam sufficienter patet, quoniam ob defectum intimioris & plenariæ ciborum resolutionis, huic bilis inertiae & serositati potissimum adscribendum, hi ipsi vel indigesti expelluntur, vel in cruditates mucidas serosasque degenerant, eoque ipso plenariam Cacochymiam facile tandem post se relinquunt.

§. X.

Naturalem è contra fluiditatis statum amittit iustoque *spissior* evadit bilis, quando à crassioribus terreis acidisque salinis particulis reliquæ magis inviscentur & condensantur, ita ut totus hic humor in crassamentum obscurum & amurcam viscosam denique degeneret. Occurrit depravata hæc ejus crasis potissimum in Ictero nigro & malo hypochondriaco obfirmato, ubi plerumque gravior Hepatis infarctus, aut plane scirrhotitas ejusdem præsto est, adeoque negotium secretionis hujus humoris vel turbatur, vel plane impeditur, reliqua autem in cystide restitans bilis, ob diuturniorem moram & stagnationem, majorem non solum acrimoniam, sed & visciditatem abinde dependentem, ob deficientem novæ diluentis bilis affluxum, acquirit. Talis ergo crassa & feculenta bilis, insigni nonnunquam acrimonia simul prædita, nil aliud videtur esse, quam Veterum illa *Melancholia & atra bilis*, quæ non raro in ipso mortis agone à moribundis, insigni cum foetore, per inferiora solet excerni, atque adeo viscida & glutinosa sæpius est, ut picem liquidam referre videatur: Lethale autem tunc communiter indicium præbet, quia

quia maximum à naturali statu omnium digestionum recessum, & extremam humoris hujus ab acido corruptionem designat. Confer. HIPPOCRATES *Aphor.* 23. *Seç. IV.* Proinde quoque ad depravatam hanc bilis qualitatem pertinet concretio ejusdem in calculos, qualis, sub ejusmodi circumstantiis, non in hominum modo, sed & variorum animalium, ac inprimis tauro- rum corpore robustissimo & maximo, observatur, de qua ipsa tamen, an præter acidum coagulans etiam speciale quoddam agens, nempe principium seminale lapidificum, requirat, quod ex multis naturalium re- rum phænomenis quidam exactissime demonstrari posse autumant, ita ut aura talis lapidifica, ex alimen- tis, potulentis, vel aliunde hausta, ubicunque debile offenderet partis alicujus internæ robur vitale, ibi co- agulationem suam exserat, & obvia quævis in lapide- am commutet duritiem, non immerito valdopere du- bitamus, cum sola particularum crassiorum terrestrium & Æthinarum intimior cohæsiō & coalitio, avolantibus & evaporantibus simul serosis & aquosis, totum hoc- ce negotium brevius & facilius absolvere posse vi- deatur.

§. XI.

Nimum *oleosa & sulphurea* bilis harum particula- rum abundantia potissimum attribuenda est, quæ ple- rumque à similibus alimentis copiosius assumtis, v. g. Butyro, Pingvedine, Oleo, Nucibus juglandibus, Amy- gdalis, &c. producitur, & per medicamenta aroma- tica, acria valdeque oleosa, crebrius usurpata, non pa- rum augetur: Talia enim, licet multis adhuc aliis mo- dis

dis

dis corporis nostri Oeconomiam turbare possint, potissimum tamen hoc præstare valent, quando Φ eo-
elastica sua qualitate non solum in genere totam san-
guinis massam exagitant & commovent, sed & in spe-
cie bilem, Φ eis ejusmodi particulis jam jam abundan-
tem, ad ebullitionem orgasticam, reliquis humoribus
facile communicandam, concitant & disponunt, eo-
que ipso dein impetuosas horum congestiones & trans-
lationes ad alias partes, inprimis vero caput, provo-
cant, & sic Vertigines, Scotomias, Cephalalgias, Odon-
talgiæ, & alia hujus generis pathemata, introducunt.

§. XII.

Eodem ex fundamento non raro quoque bilis *ni-
mium volatilis* evadit, similesque, imo graviores adhuc
morbos causatur, quando nimirum particulæ ejusdem
 Φ eæ & Θ inæ volatiles in prædominio constitutæ, plus
justo exaltantur, & quidem partim per præternatura-
lem Hepatis calorem & modo allegata aromatica &
spirituosa, partim etiam per aëris externi constitutio-
nem nimis fervidam & siccam, quippe sub qua particu-
læ illæ volatiles, in bile jam præexistentes, non solum
certo modo augmentur, sed & in motum impetuosorem
concitatae, adhuc subtiliores redduntur, eadem fere ra-
tione, qua in Chymicis operationibus spirituosa omnia
per repetitam destillationem, ignis ope volatilia red-
di & alcoholisari cernimus. Hanc ergo ita vitiatam
bilem, quoniam plerumque periculosissimos inflamma-
torios, maniacos, phreniticos & furibundos concitare
solet morbos, Veteres suo jam jam tempore non ine-
pte *deliriorum matrem* vocasse, lubentissime concedimus.

C

§. XIII.

§. XIII.

Fixior denique *bilis* tunc maxime occurrere potest, quando particulæ aqueæ & terreæ cum *Θinis acidis* simul proportionate abundant: Quanta enim ligandi & condensandi potentia hæc ultima, præ omnibus aliis, gaudeant, ex *Chymia* sufficienter jam liquet, adeoque mirum non est, si eadem non solum *bili*, sed & reliquis humoribus, quibus ex *M. S.* admiscetur inertiam & visciditatem conciliant, & agiliores, seu subtiliores *Æas* atque volatiles ipsorum particulas subigendo ac deprimendo, partim liberiores horum motum & progressum magis retardant variasque hinc & inde stagnationes inducunt, partim quoque ordinarias secretiones depuratorias ipsorum admodum retardant, ut inde in crassi sua adhuc magis vitientur & depraventur, hacque ratione postmodum *Cacochymia* & *Cachexia*, cum gravioribus *hypochoondriaco - hysteriis* insultibus, ipsum etiam animum tandem turbantibus, & ad insolitum moerorem, tristitiam, variique generis & gradus *Melancholiam* disponentibus, introducuntur.

§. XIV.

Consideratis sic qualitatis vitiis, supersunt adhuc *vitia motus*, cum prioribus sæpissime conspirantia, eoque ipso tanto graviora pathemata postmodum causantia. Obtingunt autem talia, quando motus ordinarius se- & excretionis hujus humoris vel *imminuitur*, vel *augetur* & intenditur, vel *erroneus* & depravatus est: *Imminuti motus* vitia manifestant se se, quando *bilis* vel plane non, vel insufficienter ad intestina descendit, & quidem vel propria, vel aliena, seu *cystidis* & ductus chole-

chole-

choledochi culpa. Prius contingit modo sub defectu hujus humoris, modo sub nimia ejus spissitudine & visciditate, aut etiam plenaria in calculos concretione, de quibus omnibus superius jam §. V. & X. egimus. Cystidis autem culpa id evenit, quando hæc à copiosi hujus humoris quantitate & diuturniori retentione nimium distensa & fibræ ipsius admodum relaxatæ suoque tono ordinario fere destitutæ sunt, ita ut valida & activa ejus constrictio, ad transmissionem bilis intra intestina absolute necessaria, impediatur, quippe sub quibus circumstantiis eodem modo excretio ejusdem retardatur motusque necessarius infringitur & imminuitur, quo urinam justo diutius intra vesicam retentam & copiosius collectam, relaxato licet hujus sphinctere, parcius vel plane non profluere sæpissime observamus. Ductus choledochus denique etiam huc conferre potest, quando is una cum reliquis vasculis biliariis, ob tumores, inflammationes vel convulsiones adjacentium partium vicinarum nimium comprimitur, aut à bile viscida, calculis, aliove crassiore humore obstruitur, quorum ipsi etiam vermes intra vesiculam felleam generati, & in ductu hoc per sectiones anatomicas detecti, pertinent, quippe quos, non obstante satis notabili hujus humoris amaritie, ibidem se deprehendisse testantur HILDANVS *Cent. I. Obs. 60.* & LEEVWENHOECK in *Epistola ad Societat. Reg. Londin. & alios illustres viros, s. continuatione mirand. arcanor. naturæ detector.* Ordinaria autem motus hujus vitiati, aut imminuti, consecutaria, sunt impeditior Chyli secretio ejusque exinde redundans major visciditas, quæ Cachexiam plerumque, Lienteriam

teriam & huic connexam obstructionem vasorum lacteorum, alvi segnitiam aut obstructionem, pluraque alia mala, post se trahere solent.

§. XV.

Augmentum præternaturale è contra ratione motus hujus observatur, quando copiosior non solum, sed & tenuior atque acrior bilis præsto est, ipsaque plus justo inturgescit & orgasmum nimium concipit, quippe sub quibus circumstantiis non solum intestinus ejus motus, cum aucto calore & pulsu, intenditur, sed & localis, ad intestina vergens, magis concitatur, eoque ipso varia admodum fontica pathemata producuntur. Occurrit autem hoc sæpissime sub extraordinaria illa sanguinis commotione, in febribus præcipue continuis, quæ ipsa, sicuti ad copiosiore bilis generationem & secretionem, ob particularum hæarum, in M. S. oberrantium, intimiorem resolutionem & attenuationem, multum utique contribuit, ita quoque similem orgasticum motum bili facile communicat & inprimit, ut dein majori cum impetu & notabiliore in quantitate versus intestina profluat, symptomatumque jam præsentium gravitatem aliis novis adaugeat. Hinc apparet, cur tam salutaris in ejusmodi febribus sit debita alvi apertio, vel sponte à Natura, vel per artem excitata, quoniam sic tempestive ejicitur excrementitius ille & admodum noxius humor; & cur è contra alvi adstrictio sub iisdem occurrens, omnia reddat pejora, simulque non raro continuas hæc in acutas & exanthematicas convertat, quo nimirum acres & halituosæ hæc ejusmodi impuritates, exitum per inferiora non invenientes,

tes,

tes, & ad M. S. per venas lacteas iterum delatae, per peripheriam corporis ad minimum eliminantur & e corpore proscribantur.

§. XVI.

Manifestior autem talis orgasmus bilis occurrit sub Iracundia, inprimis tacita atque suppressa, quippe cujus summam efficaciam in commovendis & exagitantibus omnibus humoribus, inprimis autem bile, egregie demonstravit PECHLINVS in *Observ. Medico-Physicis Lib. II. Observ. 25.* & experientia quotidiana innumetis jam jam exemplis confirmavit. Mirum ergo non est, si effervescens & quasi ebulliens hic humor naturalia sua claustra perumpit, cum impetu intra intestina irrumpit, & in præternaturali plerumque quantitate in ipsa effunditur, ibique, si præsertim qualitate insimul peccat, gravissima incommoda producit: Tunc enim magno impetu convulsis fibris, tam cystidis felleae, quam ductus choledochi, copiosiore talem bilis effusionem statim oris amarities, nausea, appetitus prostratio, sitis insolita, cardialgia ac vomitus, aut tormina ventris & diarrhoea biliosa excipit, cum minori tamen periculo, quam si ita commota & effusa bilis intra intestinorum canalem diutius obhærescit, cum saburra aliarum forsitan ibidem collectarum impuritatibus, aut superingestis dulcibus & feculentis, fermentescit, acrior, imo quasi corrosiva evadit, & diversos pro harum circumstantiarum qualitate colores induit; sic enim plerumque Causum, inflammationem ventriculi & intestinorum, colicam convulsivam, spasmos & Epilepsiam post se trahit, imo symptomata iis, quæ ab

assumpto veneno proveniunt, simillima, non raro excitat, quoniam etiam usque adeo caustica quandoque redditur, ut in terram ejecta instar aquæ fortis ebulliat, prout hoc BORELLVS *Observ. I. Cent. II.* testatur. Confer. Jo. Dom. SALÆ *Observatio in Actis Med. Hassniens. Volum. IV. p. 117.* de juvene derepente acerbissimis ventriculi torminibus correpto, cum aliis symptomatibus, ex quibus obiit, non sine veneni hausti suspicione, oberosum ventriculum tumidumque corpus in sectione cadaveris observatum, quæ tamen omnia non nisi bili, malignam qualitatem nactæ, adscribenda fuisse autumavit BARTHOLINVS *l. c.*

§. XVII.

Gravissima autem inprimis noxa corpori infertur, quando post copiosius effusam intra intestina bilem sudorifera calida, vel volatilia spirituosam assumuntur, quippe qua ratione dein bilis ista acrior & fermentescens copiosius ad M. S. defertur, & dum postmodum insimul quoque ad partes membranaceas & nervosas propellitur, communiter periculosissima consecutaria inducit. Recte igitur HIPPOCRATES *Lib. de veteri Medicina §. 34.* scribit: *Cum amaritudo quædam diffusa fuerit, quam bilem flavam appellare solemus, quales statim anxietates & æstus & impotentia occupant: Verum ubi liberati fuerimus ab illa, & purgati, aut sponte, aut per medicamentum, si modo tempestive quid ipsorum fiat, manifeste & à doloribus & à calore liberamur. Quanto autem tempore eadem elevata fuerit, & cruda, meraca ac intemperata, nulla arte neque dolores, neque febres sedare possis. Et quos quidem acuta acrisque ac æruginosa bilis affligit, quales mox rabies,*

&

§ *morsus viscerum ac pectoris, § desperatio?* Exinde etiam insimul liquet, quod secundum diversitatem coloris, quem bilis ita vitiata & auctiori motu intra intestina effusa, exhibet, noxia ejus qualitas insimul differat, inprimis autem viridis & nigra bilis pessimæ indolis existant, quoniam crasis & mixtio ejus ab acido corrosivo ipsi admixto plane destructa est; unde etiam HIPPOCRATES *Lib. de nat. hom. p. 282.* priorem harum jam dudum atro notavit calculo, dum ita scribit: *Viridis bilis juxta hepar manens, ubi super ebullit, humani corporis corruptio est, § nocivus ac inutilis ejus inquilinus;* quod ipsum quoque variæ observationes anatomico-practicæ illorum, qui ex ejusmodi bilis vitio obierunt, sufficienter testantur: Sic DIEMERBROECKIUS *in Anatom. p. 44.* testatur, quod in quodam ex forti diarrhœa biliosa viridi mortuo, folliculum fellis, viridissima bile repletum, ad ovi gallinacei majoris magnitudinem intumuisse deprehenderit; sic & *pag. 115. l. c.* scribit: *In sectionibus cadaverum, in nosocomio nostro mortuorum, sæpe bilem viridissimam, æruginosam § subnigricantem, in ipso fellis folliculo ante succi pancreatici admixtionem, demonstravimus: Imo in filiola Domini Ulych, alvi fluxu æruginoso mortua, § post mortem coram pluribus Medicis à me aperta, folliculum felleum circiter ad ovi gallinacei magnitudinem turgidum, § æruginosa bile infarctum invenimus; quod ipsum etiam in aliis quibusdam infantibus, simili diarrhœa extinctis, observavimus, ut § in aliquibus, quibus Cholera morbus vitæ finem imposuerat.*

§. XVIII.

Quod tandem *erroneum & depravatum bilis motum*
attinet,

attinet, occurrit ille potissimum, quando hic humor per vias minus adæquatas ad infueta loca defertur, nempe vel ad M. S. si nimirum ordinarius ejus motus ad intestina, ob causas superius jam jam enumeratas, interceptus est, ubi dein, prout ex antedictis jam jam constat, modo Icterus, modo varii generis febres, imprimis autem ardentes, post se trahit; vel etiam ad ventriculum, quorsum in statu s. n. itidem pervenire non debet, idque tam ob vitiosam & erroneam ductus choledochi in fundum hujus partis insertionem, qualia exempla apud *Barthol. CABROLIVM Observ. Anatom. 6. BONNETVM Anat. Pract. Lib. III. Sect. VIII. Obs. 34. p. 808. ZACVTVM LVSITANVM Prax. admir. Lib. II. Obs. 1.* aliosque prostant; quam ob inversum intestini duodeni motum peristalticum, unde dein non solum nausea cibique fastidium, sed & ardor ventriculi, singultus vomitusque biliosi crebriores eveniunt. Et hæc de præternaturali bilis depravatione & noxa pro hac vice adduxisse sufficiat, practicam enim horum vitiorum tractationem modumque illa corrigendi & emendandi, alio tempore & occasione tradere lubet.

S. D. G.

